



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Unversus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. IX. De Existentia materiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

SECTIO IV.

*Solvuntur objectiones, & quadam inferuntur
circa appetitum materia ad
formas corruptas.*

I. *Obi: forma destructa potest redire intra tempus suae durationis*
Objicitur primò; ponamus formam aliquam durare naturaliter posse per tres horas, si ergo secundà horâ destruat, quid obstat quo minùs in tertiâ illâ horâ, quæ est intra sphaeram naturalis ejus durationis, denuò producatur? præsertim si idem agens & passum, à quibus primò producta illa forma fuerat, iterum sibi invicem applicentur, idem enim juxta Aristotelem 3. phys. c. 6. manens idem, semper aptum natum est facere idem.

II. *Exemplo motus localis ostenditur formam illam redire non posse.*
Sed contrà, hîc iterum urgeo primum argumentum quod suprà ad probandam conclusionem adduxi, & existimo esse omnium efficacissimum. Petrus in angulo A existens potest intra quatuor instantia, ut suppono, locare se in angulo D. hæreat per tria instantia in angulo A, quare in quarto collocare se nequit in angulo D? cùm sit intra tempus quo se illic naturaliter collocare potuisset. Dices; causam esse, quia non produxit ubicationes angulo illi proximas. Contrà, idem dico ego de duratione formæ in horâ tertiâ, ideo nimirum illam naturaliter habere eam jam non posse, quia non habuit durationes illi proximas, & sicut adversarij conditiones illas requirunt in ubicatione naturaliter acquirendâ, ita easdem æquali jure requiro ego in duratione.

III. *Vt causa possit producere effectum, supponit eam prius non existisse.*
Objicitur secundò; ignis A jam existens habuit potentiam ad producendum ignem B. destructum, & ignis B. aptitudinem ad existendum, ergo etiamnum has retinent, cùm eadem adhuc retineant prædicata, & eandem naturam. Resp. licet eandem habeant naturam quam antea, illa tamen, ut in actum prodeat, varias requirit conditiones, & una ex his in præsentia est, effectum illum prius extitisse, & jam esse destructum.

IV. *Virtutem physicam à conditionibus extrinsecis pendere, nullus ferme negat.*
Dices; non potest virtus operativa physica pendere à conditionibus merè extrinsecis, alioqui dicere quis posset dari posse conditionem merè extrinsecam, quâ posita ignis aliquis comburere tantum possit diebus Dominicis. Sed contrà, aliquas dari conditiones extrinsecas, quibus positis, virtus physica operari possit, aut non possit, nullus ferme Philosophorum negat; sic enim æternitatem à parteciente esse præteritam est conditio, secundum multos, ut virtus physica omnipotentiz Divinæ exerere se possit, & creaturam producere ad extra; causam univocam non adesse est conditio, ut causa

æquivoca operetur; item formam ignis A non esse alibi est conditio ut producatur hic, & alia hujusmodi, quæ suprà in hanc rem attuli d. 5. sect. 2. Nec tamen ex eo quod quis conditiones quasdam extrinsecas admittat, quæ cum re aliquâ peculiarem habent connexionem, sequitur quascumque disparates esse admittendas: neque enim ex eo, quod formam ignis A non esse alibi, sit conditio ut producatur hic, sequitur dari posse conditionem, quâ posita, Turca (sæpe semper ad numeros, & galli omnes gallinacei stent altero pede, ut eos semel singulis diebus stare fabulantur in suo Talmud Judæi, ut refert Sixtus Senensis lib. 2. Bib. sanc. lit. T. fine.

V. *Idem semper*
Objicitur tertiò, appetitus materiæ nihil aliud est quàm ipsa materia, ergo si materia semel habuit, vel potius fuit potentia ad formam destructam, in materia semper est. Resp. semper esse eo modo quo fuit, appetitus, nempe casu quo non fuisset destructa.

VI. *Quomodo sit in materia privatio formæ corruptæ.*
Objicitur quartò; est adhuc in materiâ privatio formæ corruptæ, ergo est subjectum aptum, ad illam habendam, sicque illam appetet. Contrà, etiam est in materiâ hodie privatio durationis hesternæ. Resp. itaque privationem transcendentalem seu remotam, id est carentiam formæ pro aliquâ differentia temporis aptæ inesse subjecto, esse in materiâ illâ, non verò privationem quam vocant prædicamentalem, seu proximam, quippe quæ multa alia involvit. Videantur dicta d. 18. Log. l. 10 nu. 4, ubi harum privationum discrimen latè exposui.

VII. *Materia proximè corruptas non appetit*
Hinc infero, materiam formas corruptas appetitui prædicamentali non appetere. Existimo tamen, ut sec. præcedente insinavi, si Deus formam aliquam materialem reproduceret, materiam denuò eam appetituram: sicut quamvis appetitu elicitò nullus prudenter appeteret cibum aliquem quem novit esse destructum, fructus ex g. anni superioris, si tamen Deus hoc anno eosdem rursus reproduceret in arboribus, prudenter posset quis eos appetere.

VIII. *Forma reproducta appetet naturaliter*
Conf. forma illa, si à materiâ separata produceretur, appeteret naturaliter materiam, cùm naturaliter sine eâ existere non possit. Quod magis urget in unione, aut alio modo reproducto, utpote qui nec divinitus esse possit, nisi affixus rei cujus est modus.

IX. *Ignis reproductus appetet naturaliter*
Conf. secundò, licet miraculosè aliquid vel producat primò, vel reproducatur, posita tamen reproductio miraculosa, multa petit naturaliter: sic enim ignis reproductus peteret calorem, & combureret naturaliter, aqua peteret frigus, lux aërem, vel aliud subjectum, homo sensus omnes, & naturaliter incederet, videret, audiret, loqueretur: nec enim putandum est, quot Lazarus post resuscitationem protulit verba, tot fuisse miracula.

DISPUTATIO IX.

De existentia materia.

SECTIO PRIMA.

*An materia habeat propriam existentiam,
vel existat per existentiam
formæ.*

I. *2. sens. ait materiam non habere*
Celebris hac in parte est Thomistarum quorundam opinio, qui materiam ita puram esse volunt potentiam, ut nullum omnino, ne existendi quidem illi actum concedant, sed existentiam

à formâ emendicare eam asserunt. Ita Cai. tr. de En. te & Essentiâ c. 5. q. 8. ubi huic sententiæ ita mordicus adhæret, ut oppositum errorem vocet intolerabilem. Ferrar. 2. cont. Gentes, c. 68. & alij apud Suarium citandum.

II. *2. sens. docet materiam habere existentiam*
Secunda sententia ait materiam habere propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, incompletam tamen & materiæ proportionatam, per quâ est ens actu, & extra causas. Dicit ergo hæc sententia, in composito duas esse entitates incompletas, ex quibus entitas una totalis conflatur, seu unum compositum, & unamquamque entitatem incompletam suam

suam sibi habere partialem, & incompletam existentiam, & ex utraque unam coalescere existentiam completam compositi. Ita Doctor subtilis cum suis in 1. dist. 12. q. 1. & 2. Gregor. Gabriel, & reliqui Nominales ibidem, & alij. Suar. d. 13. Met. sect. 3. nu. 13. Molina, r. p. quaest. 3. ar. 4. d. 2. Hurt. d. 2. Phyl. sect. 6. Arria, dist. 2. Phyl. sect. 5. Oviedo. c. 2. Phyl. p. 5. nu. 2. & alij passim.

III.

Notandum, rationem formalem per quam res aliqua est, esse existentiam, res enim solum possibilis, simpliciter non est, nec dici potest ens actu: unde essentia actualis non distinguitur realiter ab existentia actuali, cum id per quod res actu est, sit existentia. Hoc tamen si supponeremus, nempe existentiam non distingui realiter ab essentia, nullus esset disputationi huic locus, cum concedant adversarij materiam habere essentiam distinctam ab essentia formae, ergo si existentia non distinguitur realiter ab essentia, habebit etiam necessarii existentiam distinctam ab existentia formae. Admittimus ergo praesentem disputationis gratia, existentiam realiter, vel ex natura rei distingui ab essentia.

Disputationis gratia admittitur existentiam ab existentia.

IV.

Materia habet propriam existentiam.

Conclusio: materia prima habet propriam partialem existentiam distinctam ab existentia formae, per quam partialem & incompletam existentiam ponitur formaliter extra causas, & partialiter concurrat ad constituendam unam totalem existentiam compositi.

V.

Prius naturam existit materia, quam forma materialis, ergo existere nequit materia per illius existentiam.

Omissis varijs rationibus quibus probari solet hae conclusio, sic eam probamus: prius naturam existere debet materia quam forma, saltem materialis, ergo non potest existere materia per existentiam formae. Consequentia est evidens, nam si prius naturam existat materia quam forma, ergo prius habet existentiam quam existat forma, sed pro nullo priori est existentia formae antequam existat forma, ergo existentia quam in illo priori habet materia, non est existentia formae. Antecedens itaque probatur, materia est verum subiectum & causa formae materialis verè in illam influens, ergo est natura prior illa, cum omnis causa essentialiter sit natura prior effectui. Deinde concursus materialis est influxus, & aliquo modo operatio, prius autem est esse seu existere, quàm operari vel causare, ergo in illo priori quo materia concurrat ad productionem formae materialis, est seu existit materia, & non existit forma, ergo pro illo priori non existit materia per existentiam formae, cum pro illo priori non sit existentia formae, sic enim prius existeret quàm habeat existentiam.

VI.

Nec potest tunc materia existere per existentiam formae ligni.

Dices primo, quando educitur forma, ignis v. g. è potentia materiae ligni, non existere materiam pro eo instante per formam ignis jam productam, illam enim materia est natura prior, ut probat argumentum, sed existit per formam ligni, sic quo semper existit per formam, non quæ tunc educitur, sed quæ præcessit, prima autem omnium forma non fuit educita è potentia materiae, sed concreta simul cum illa. Contrà, æquè, imò magis impossibile est ut pro illo instante quo forma ignis educitur, existat materia per existentiam formae ligni, quàm per existentiam formae ignis, nam eodem instante quo producit vel educitur è potentia materiae forma ignis, perit forma ligni, quippe quæ expellitur per formam ignis jam productam, ergo illo instante non est existentia formae ligni, ergo non potest illo instante materia per illam existere, magis quàm potest paries esse albus per albedinem, vel manus calida per calorem eo instante quo perit albedo illa & calor.

VII.

Dices secundo, materiam & formam esse sibi invicem causas, & formam verè pendere à materia, & materiam vicissim à formâ, ergo eodem modo se res habebit inter materiam & existentiam formae,

erunt nimirum sibi invicem causae. Contrà primo, antecedens enim communius negatur quàm conceditur à Philosophis, de quo postea. Contrà secundo, in quocunque genere causae dicatur causa esse prior, præintelligi debet cum sua existentia, cum existentia sit conditio essentialiter antecedens ad cauandum & operandum: si autem accipiat suam existentiam à formâ, intelligi nequit prius existere quàm existat forma, sic enim existeret prius suâ existentia.

P. Arriaga sect. 5. nu. 76. ait, admissa distinctione inter essentiam & existentiam, hoc argumentum nihil concludere, materia enim, inquit, in hac sententia sustentare debet suam existentiam, ad quam tamen intelligi nequit præexistens. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, si existentia ponatur distincta ab essentia, debere existentiam illam creari, & non sustentari in materia, sed tantum eam tanquam purum terminum aspicere.

Urgebis cum eodem, existentia formae non creatur, sed generatur, alioqui agentia naturalia quoties novam formam producunt, crearent, ergo educitur ex essentia formae, ad quam tamen forma non intelligitur præexistens. Concessis reliquis, negatur ultima consequentia, existentia enim formae educeretur non ex essentia formae, sed ex materia per existentiam creatam jam pro aliquo priori existentem: imò non alio modo materia causare formam potest, quàm causando ejus existentiam.

Secundo probatur conclusio, causa quæ producit existentiam ut unitam rei, verè producit rem illam, nam producere aliquid nihil aliud est, quàm ponere extra causas, & tribuere illi existentiam, seu facere ut de possibili transeat ad esse actuale, ergo causæ producentes existentiam ut unitam materiae, producant materiam, sed causæ secundæ, ignis v. g. terra, plantæ &c. juxta adversarios producant existentiam materiae ut illi unitam, producant siquidem formas, & illas simul cum illarum existentijs uniunt materiae, ergo producant materiam, quod Philosophorum nullus concedit. Conf. hinc sequeretur, materiam generari, & non produci per creationem. Patet, nam ponitur à parte rei, & producit per generationem, per eandem scilicet actionem, per quam producit forma, produci enim rem, ut diximus, aliud nihil est, quàm poni eam extra causas, & accipere existentiam, sicut enim albedo denominat subiectum album, ita existentia denominat rem esse extra causas, seu existentem.

Dices, licet existentia materiae generetur, non tamen essentia, illa enim generari non potest, sicque ratione illius dicitur materia ingenerabilis. Contrà primo, nam sic forma etiam substantialis materialis, & accidentia omnia erunt ingenerabilia, cum juxta adversarios essentia omnium rerum sint ingenerabiles. Contrà secundo, ratio generabilitatis aliquid rei desumitur ab existentia ejusdem, quæ si producat dependenter à concursu subiecti, dicitur res generari, si independentem, creari: si ergo existentia materiae producat, & communicetur ei per actionem educitivam (ut necessario communicari debet, si sit eadem cum existentia formae materialis) simpliciter dici debet materia esse generabilis æquè ac forma, imò actu generari & conservari concursu generativo, sicut illa.

Nec difficultatem solvit communis adversarij distinctio de existentia propria & aliena: concedunt enim argumentum concludere de propria existentia, non tamen de aliena, nam quando aliquid, inquit, existit existentia aliena, non producit eadem actione essentia & illa aliena existentia, sed essentia & unio cum aliena existentia, per quam applicatur

VIII.

Si existentia distincta dicitur debet creari.

IX.

Existentia vero formae educeretur ex materia.

X.

Si materia existit per existentiam formae, res naturales producunt materiam.

XI.

Si rei aliquid existit per existentiam generatur, censetur res ipsa generari.

XII.

Nec aliud quoad hoc est de existentia propria, & aliena.

& unitur aliena existentia illi essentia. Contrā, nam saltem producitur nova unio, ergo idem argumentum confici potest de essentia materiae & illa novā unione, ac de essentia materiae & existentia formae materialis, vel enim creatur illa unio, vel generatur: non primum, quia tunc agentia naturalia crearent, unionem enim illam producant; nec secundum, sic enim materia generetur, cum generetur unio. Imò confici posset idem omnino argumentum de essentia & existentia huius unionis.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta contententia materiam existere per existentiam formam.

I.
Obij: esse
actu prove-
nit à for-
ma.

Objicies primò; existere seu esse actu est quid formaliter proveniens à formā, ergo materia non potest hoc habere ex se cum sit pura potentia. Antecedens probatur, nam existentia est ultimus actus, supponens vel faciens rem esse completam, sed materia non est completa nisi per formam, ergo existit & fit completa per illam. Multis peccat hoc argumentum, primò enim existentia non est ultimus actus, cum substantia sit ulterior actus rei, quae proinde vocatur ultimus terminus naturae. Deinde materia non est ita pura potentia ut omnem excludat actum, nempe entitativum, ut supra ostendimus. Resp. ergo negando antecedens. Ad probationem, distinguo minorem, forma est faciens rem esse completam in tali vel tali specie substantiali completa, concedo minorem esse completam quoad praedicata rei intrinseca, & existentiam, nego.

Resp. for-
mam facere
rem comple-
tam in
tali specie,
non in exi-
stentiā.

II.
Modus
quorū in
suo esse est
tam com-
pletus, ac
Angelus
in suo.

Adde ulterius, materiam & modum quēcumque in sua, ut ita dicam, tenore, seu in esse suo imperfecto, esse aequē completam, & perfectam ac Angelum vel rem aliam quācumque perfectissimam in suo, cum non magis quidquam materiae, vel modo cuiuslibet desit entitativē ad suum esse incompletum, quā Angelus ad suum completum, & in hoc solum discrepant, quod materia & modi ordinemur ulterius, sicque sint quid essentialiter incompletum; Angelus verò sibi quasi existit, nec ad alterius constitutionem refertur. Sic apprehensio in suo genere est aequē perfecta ac iudicium in suo. Et in arte factis mensa aut scammum in suo genere aequē perfectum est & completum, atque horologium, aut res alia maxime affabre facta in suo. Materia ergo non indiget formā ut existat sed ut completa, & cum omni perfectione sibi debita existat.

III.
Quo sensu
species de-
sumatur à
forma.

Hoc sensu sumendum est, quo nihil frequentius apud S. Thomam, semper *speciem desumi à formā*, nempe speciem completam, forma enim determinat & quasi limitat materiam ad hanc vel illam speciem compositi substantialis in physicis, sicut differentia limitat genus in metaphysicis. Quando ergo Aristoteles dicit materiam esse actu per formam, intelligit nunquam esse actu sine formā, cum semper habeat formam, vel non esse actu completam & perfectam nisi per formam.

IV.
Esse speciei
completæ
est propter
operari, non
speciei in-
completæ.

Objicies secundo; *esse est propter operari*, sed materia nullam habet operationem, ergo nec existentia. Resp. primò, distinguendo maiorem, esse speciei completæ est propter operari, concedo maiorem; esse speciei incompletæ, nego: species enim incompleta magis est propter recipere vel constituere compositum, quā propter operari, vel efficere. Deinde relatio, & alij aliqui modi juxta adversarios non operantur, & tamen existunt. Secundo Resp. negando minorem, materia enim juxta multos per

emanationem producit suas proprietates, quantitatem, ubicationem, & huiusmodi.

Objicies tertio; *ex duobus entibus in actu non fit unum per se*, ergo materia non debet ex se esse ens in actu. Resp. distinguendo antecedens, ex duobus entibus in actu, quorum utrumque vel alterum est in actu completo, non fit unum per se, concedo antecedens; quorum utrumque est in actu completo, nego: ipso facto enim quod sit in actu incompleto, ordinantur essentialiter ad completionem, suntque entia partialia.

V.

Ex duobus
entibus in
esse completo
non fit u-
num per se.

Objicies quarto; si materia habeat propriam existentiam, & sit in actu, ergo res quāvis composita, ignis v.g. cras produendus, est jam partim in actu antequam producat, cum jam actu existat materia, quae est pars illius. Contrā, idem argumentum fieri posset de formā, animā rationali, verbi causa, quam Deus crearet non unitam materiae, tunc enim homo, cujus pars est illa anima, eodem modo esset in actu partialiter antequam producat. Resp. ergo, non esse partim actu antequam producat, nam antequam materia uniat formā, & forma materiae, nec una nec altera est pars actu illius compositi, cum primò sint partes actu per unionem. Si tamen per esse rem partim actu, velint solum actu esse illud, quod postea erit pars illius quid inde incommodum?

VI.

Quo sensu
res compo-
sita sit par-
tim actu
antequam
producat.

Objicies quinto; nisi materia existat per existentiam formae, intelligi nequit quā ratione ita pendeat à formā, ut naturaliter non possit, saltem per accidens, esse sine omni formā, cum nimirum agens aliquod destruit dispositiones ad formam priorem conservandam requisitas, non tamen inducit sufficientes ad inducendam novam. Resp. pro praesente negando antecedens, ignis enim in conservatione naturaliter pendet à colore, & varia composita substantialia naturaliter pendet à dispositionibus suis accidentalibus, per quarum tamen existentiam non existunt, etiam juxta adversarios. Item forma materialis pendet à materiā, à qua tamen juxta adversarios non accipit existentiam.

VII.

Licet ma-
teria habeat
propriam
existentiam,
non potest
esse sine om-
ni formā.

Objicies sexto; secundum nos existentia formae materialis recipitur in materiā, ergo tribuet illi effectum suum formalem. Hoc argumentum probat existentiam non distingui ab essentia: hac tamen distinctione admittā, contrā est, sequeretur namque materiam existere etiam per existentias accidentium, cum illa similiter inveniuntur materiae. Resp. itaque negando consequentiam: nam materia per propriam existentiam, ut ostendimus, existere prius debet, quam formam, vel existentiam formae in se recipiat, ergo hanc denominationem accipere non potest ab existentia formae, cum essentialiter praesupponatur habere existentiam. Sicut quando forma ignis educitur ex materia, actio illius eductiva subiectatur, non in termino producto, sed in subiecto, & tamen terminum solum, non subiectum denominat productum. Non ergo quicquid est capax formae, est capax omnis denominationis, seu effectus illius formalis: sic species in aere recepta aërem non denominant visivum, nec gratia lapidem denominaret gratum.

VIII.

Licet exi-
stentia for-
mae reci-
piatur in
materiā,
non tamen
denominat
eam existen-
tiam.

Objicies septimo; ergo existentia materiae erit de essentia compositi. Contrā, non magis quā existentia formae. Dico ergo, de essentia compositi ut existentis esse existentiam tam materiae quā formae, non tamen de essentia illius prout abstrahit ab existentia, hoc enim modo concipitur in esse tantum possibili.

IX.

Quo sensu
existentia
materiae sit
de essentia
compositi.

Non tamen est necessarium, licet admitteremus essentiam distinguui ab existentia, dicere existentias illas inter se uniri per modum actus & potentiae, sed

X.

sed

An existens materia & forma inter se uniantur. sed vel non uniri omnino; sed facere unam aggregationem existentiam totius, ut philosophantur aliqui de duplici unione in composito naturali, vel aliquo modo inter se uniri per existentiam unionis, ut alij substantias partiales materiae & formae uniri dicunt per substantiam unionis.

SECTIO III.

An materia, saltem divinitus, existere possit per existentiam formae, aut sine formâ.

I. Possunt materia & forma existere eadem existentia. Dico primò: si existentia distingui supponatur ab essentia, poterunt materia & forma existere eadem existentia, quæ sit modus communis utriusque, modò eadem numero actio terminetur tam ad materiam, quam formam & existentiam formae, & omnia tria creentur. Ratio est, nam si producantur omnia eadem actione, & ea sit creatio, nullum ex argumentis supra allatis urget contra hoc quod jam asserimus, utpote quæ ferme omnia procedunt contra existentiam formae materialis ductæ à potentia materiae. Unde si Deus totum hominem jam crearet, non apparet implicatio cur non posset esse una existentia communis tam materiae, quam animae rationali: & idem videtur quando anima sola de novo creatur, & corpori infunditur, tunc enim cessaret prior existentia materiae, & nova utrique communis succederet.

II. Si existentia forma non sit modus, potest materia per eam existere. Dico secundò: si existentia formae non ponatur esse modus, sed forma absoluta, poterit materia divinitus per illam existere. Explicatur & probatur conclusio, si existentia non sit modus, non alligatur essentialiter uni alicui subiecto, sed poterit alteri, saltem supernaturaliter, communicari, ut de calore & primis qualitatibus, de colore item, luce, & similibus communiter concedi solet. Imò idem dicunt aliqui de substantia creatâ, asserunt enim posse unum Angelum divinitus subsistere per substantiam alterius. Addo, dici posse secundum hunc modum philosophandi, & distinguendi existentiam ab essentia, non repugnare ut destructâ formâ, materia existat per illius existentiam: si etiam separatur forma à materia, modò existentia illius ponatur in duobus locis, poterit materia ligni vel lapidis hâc existere per existentiam formae Romae existentis, aut in Indiis.

III. An aliquid quid creatum existere possit per existentiam Dei. Dico tertio: posita distinctione existentiae ab essentia, posset materia divinitus existere per existentiam increatam, seu Dei. Probatur, si enim semel admittatur posse aliquid existere per existentiam alterius, non videtur cur magis repugnet materiam, vel humanitatem existere per existentiam increatam, quam subsistere per substantiam increatam, sed de facto subsistit humanitas Christi per substantiam increatam Verbi, ergo & existere poterit per ejusdem existentiam, modò uniatur illi per unionem distinctam, sicut unitur Divinae substantiae.

IV. Quoad secundam partem tituli dico quartò: po-

test materia existere divinitus sine omni formâ. Probatur, nam non est ulla ratio asserendi contrarium, cum materia non existat per existentiam formae, sed per suam. Imò licet existere per existentiam formae, adhuc posset divinitus existere sine ulla formâ, si dicatur existentia formae esse quid absolutum, & non modus, quod in hac sententiâ dici posset. Conf. possunt accidentia existere divinitus sine subiecto, ergo materia sine formâ: major enim est connexio inter accidentia & subiectum, quam inter materiam & formam, videmus namque accidentia naturaliter non posse adherere successivè diversis subiectis, cum tamen materia possit naturaliter subesse successivè variis formis.

V. Dices; materiam habere essentialem connexionem actualem cum aliquâ formâ, ergo non potest esse sine omni. Sed contra, nulla enim apparet ratio cur majorem habeat connexionem materia nostra cum aliquâ formâ, quam quantitas vel alia accidentia cum aliquâ materiâ sub subiecto, sed quantitas & alia accidentia possunt conservari divinitus sine omni subiecto, ut videmus in quantitate & reliquis accidentibus panis & vini in sanctissimo Sacramento, ergo & poterit per divinam potentiam materia conservari sine omni formâ.

VI. Præterea quidni æquè poterit materia conservari divinitus sine omni formâ, ac agens vel causa effectiva impediri ab omni actione, quando naturaliter agere debet, ignis v.g. à comburendo lignum, vel aliam materiam debitè applicatam, sed ignis divinitus potest non comburere manum sibi debitè applicatam, ut in fornace Babylonicâ, & variis martyribus vidimus contigisse, ergo & materia conservari divinitus poterit sine omni formâ.

VII. Dices secundò; modi essentialiter dependent à subiecto, quidni ergo & materia à formâ? Contrâ, modus pendet à determinato subiecto, ergo & materia dependere deberet ab aliquâ formâ determinatâ. Resp. ergo modos esse actuales determinationes, sicque nil mirum quod existere nequeant sine subiectis, seu nisi actu determinent, materia autem est quid, in ratione constituendi compositum, indeterminatum.

VIII. Dices tertio; dari divinitus nequit esse accidentale sine formâ accidentali, ergo nec esse substantiale sine formâ substantiali. Nego consequentiam, omne enim accidens essentialiter est forma, accidentis enim esse est inesse. At verò datur substantia, tum completa, ut Angelus, tum incompleta, ut materia, quæ non sit forma.

IX. Dices quartò; materia essentialiter est compars, ergo necessario debet habere formam, illam enim essentialiter respicit ut compartem. Contrâ, forma essentialiter est compars, ergo necessario debet inesse materiæ, illam enim essentialiter respicit ut compartem, & tamen videmus animam rationalem posse, etiam naturaliter existere sine materiâ. Resp. ergo distinguendo antecedens, materia essentialiter est compars actualis, nego antecedens; aptitudinalis, concedo: non est enim essentia materiæ actu suscipere formam, sed esse illius susceptivam.

DISPU: